



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De quidditate & numero principiorum concurrentium ad
compositionem essentialem corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)



LIBER SECVNDVS

D E

Compositione essentiali corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De quidditate, & numero principiorum concurrentium ad compositionem essentialem corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Reiectis aliorum sententijs, nostra, ac verior proponitur.



ARISTOTELES I. Phys. c. 5. tex. 42. principia corporis naturalis definit: *qua nec ex se, nec ex alijs, sed omnia ex ipsis fiunt.* In qua definitione illud semper difficultatem nõ leuem peperit, quatenus iuxta eam principia rerũ naturalium sint tria dumtaxat, materia nimi-

rum, forma, & priuatio: Vt cum Aristotele plerique iam Philosophi tuentur. Pater Hurtado respondet primò, omnia principia corporis naturalis intrinseca, quàm extrinseca, tam positiua, quàm priuatiua esse ab Aristotele definita; & ea non tria solum, sed longè plura esse. Secundò, alij respondent, sola principia intrinseca corporis, seu rei naturalis à Philosopho definita esse; at ea esse non tria numero, sed duo: videlicet materiam, & formam substantialem. Caterum vtraque solutio Aristoteli, de cuius mente dissidium est, aperte repugnat primo Physicor. lect. 14. textu 71. ibi: *Sed quod principia tria sint, & quomodo, & quis eorum modus, dictum est.* Aristotelem D. Thomas, & reliqui communiter interpretes eò loci sequuntur.

Tertiò, alij cum Ioanne Cardinali de Lugo in manuscriptis philosophicis respondent, Aristotelem definisse principia intrinseca corporis, seu rei naturalis in fieri; aut, quod perinde est, principia intrinseca generationis substantialis, prout hæc mutatio est: cum autem mutatio sit transitus rei naturalis à non esse ad esse: consequens est, vt mutatio quatenus talis includat tria principia intrinseca, videlicet priuationem, seu non esse, & materiam, ac formam essentialem, siue esse rei naturalis constitutiua. Verum in primis Aristotelem hic agere de principiis non mutationis, sed ipsius entis, seu corporis naturalis locuples testis est B. Thomas in præsent. lect. 2. ibi: *Determinat de principijs entis mobilis, in quantum huiusmodi:* & paulò infra ibidem: *Ponit diuersas opiniones Philosophorum de principijs nature.* Deinde impugnatur ea sententia, quia eodem iure fingi posset ab Aristotele, definita esse principia generationis substantialis, prout est conuersio, & transitus ab vno esse substantiali ad aliud v.g. ab esse ligni ad esse ignis: quo fiet, vt non tam

R. P. Richardi Lincei, Tom. II.

materia, forma, & priuatio, quàm materia forma expulsa, & forma introducta, sint principia rei naturalis: quod tamen inter Philosophos hætenus fando auditum non est.

Præterea mutatio non solum priuationem, & eius terminum ad quem intrinsecè includit; verum etiam intimius, & principalius ipsam actionem, quæ à priuatione ad habitum gradus est. Iam ergo non tria, sed quatuor erunt principia naturalia, si de principiis mutationis naturalis sermo sit in præsent. vt esse debere contendunt aduersarij. Rursus generatio substantialis, præsertim si in agente sit, & non in passio terminos à quo, & ad quem; nimirum priuationem, & esse substantiale, ad quod tendit, extrinsecè solum connotat, & intrinsecè non includit: quod ergo magis absurdum est, ne tria quidem erunt principia naturalia, sed vnum dumtaxat, actio nempe generatiua rerum. Denique mutatio omnis priuationem velut terminum à quo nec includit, nec connotat etiam: Deus enim si ab æterno per aliquid à se distinctum, & in ipso velut causa materiali receptum intelligeret, aut vellet; sanè iuxta omnes mutaretur: at in eo euentu nulla in Deo priuatio intellectionis, aut volitionis, priusquam intelligeret, aut vellet, inesset: mutatio igitur cum priuatione præuia suapte natura coniuncta non est; ac proinde priuatio generationis substantialis, prout mutatio est, ex se principium non erit, vt aduersarij existimant. Quartò, Conimbricenses I. Physicor. cap. 5. quæst. 1. art. 4. cum non paucis, quos referunt, in ea sententia sunt, vt existiment, Aristotelem definisse principia rei naturalis, non quæcunque, sed ea, ex quibus res naturalis fit: quæ quidem tria, tantum sunt, materia scilicet, forma, & priuatio: etenim homo ex materia, & forma fit, & etiam ex non homine: ex causa autem finali, & ex efficienti res propriè non fit, sed potius propter alteram fit, & ab altera fit.

Contra tamen primò sic argumentor: Ex causa etiam efficienti, res propriè fieri dicitur: ergo si principia ab Aristotele definita haud alia sunt, quàm principia ex quibus, certè ea plura, quàm tria erunt. Antecedens constat ex 1. Corint. 8. ibi: *Deus pater, ex quo omnia:* & Ieremias cap. 33. ibi: *Vi non fit ex eo Filius.* Insuper secundò: sicut ex non igne fit ignis, ita ex ligno fit ignis v. g. cur ergo forma expulsa connumeranda non sit inter principia, ex quibus, rerum naturalium? Quare non iam tria, sed quatuor earum erunt principia, si sermo sit de principiis ex quibus. Tertiò tandem, ex calido immediatè fieri ignis, & ex frigido non nisi mediatè fieri dicitur: calor ergo, & alia dispositio

A 2

positio

positiones præuiae inter principia ex quibus censerentur debent: unde hæc tria solum esse non poterunt, sed potius numerum ternarium excedent.

5 Pro difficultatis enodatione præmitto, principium bifariam posse sumi. Primum pro eo, unde aliquid est, siue quod aliquo prius est, ea quidem prioritatem, quæ vel sit naturæ, vel temporis, vel loci, vel alia quauis: quo pacto Pater dicitur principium Filij, & instans antèrius principium posterioris. Secundò pro primo, unde aliquid est, hoc est pro eo, quod ita est alio prius; ut nihil ipso saltem in eodem genere prius sit: quo pacto primus dies creationis mundi, quemque alius non antèuertit, principium dierum subsequentiū dicitur: & Pater æternus ab alio improductus, Filij principium est, & appellatur. Prior usurpatio principij lata est, & ad eam respexit Aristoteles 5. Metaphys. cap. 1. ibi: *Principium est, unde sit aliquid, aut cognoscitur*. Posterior stricta est, & ad eam respexit Tullius quæstion. Tusculan. 3. ibi: *principij nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex re nulla nasci potest*: Et Plato in Phædro ibi: *principium vero sine ortu est: ex principio enim necesse est, quidquid generatur, oriri; ipsum autem ex nullo*. Porro principium strictè, ac rigorosè sumptum, aliud est extrinsecum, quod rem naturalem nec intrinsecè constituit, nec eam quoad aliquam eius partem intrinsecè afficit; qualis est causa eius efficiens, aut finalis: aliud est intrinsecum, quod rem naturalem intrinseca ratione constituit, vel certè quod eam quadantenus sumptam intrinsecè addit. Quibus constitutis, arbitror Aristotelem definiisse ubi supra principia strictè sumpta, necnon intrinseca rei, seu corporis naturalis. Tum quia lib. 2. suorum Physicorum de principiis extrinsecis rei naturalis ei sermo ex professo est: lib. ergo 1. superiorem definitionem trahebat, de principiis intrinsecis tantum disserit. Deinde quia Philosophi naturales, contra quos disputat, loquuntur certè de principiis etiam intrinsecis, dum alij quatuor, alij tria, alij duo rerum omnium naturalium semina, principia esse arbitrantur. Denique quia optimè cohæret cum definitione principiorum, ea duntaxat esse tria, materiam nimirum, formam, & priuationem: ut nunc ex solutione argumentorum perspicuum erit.

CAPVT II.

Dissoluntur argumenta contraria.

6 Obiicies primò: forma materialis sit, & educitur ex materia tanquam ex subiecto intrinsecò: perperam ergo principia rei naturalis definiuntur: *quæ nec ex se fiunt*. Deinde materia, & forma à Deo sunt, & fiunt: malè ergo definiuntur eadem principia, *quæ nec ex alijs fiunt*. Præterea materia, & forma ex genere, & differentia intrinsecè componuntur, & fiunt; ac similiter ex partibus integrantibus intrinsecè constituntur, fiuntque: non igitur sunt principia strictè sumpta: siquidem in eodem genere principij intrinseci ab alio originem trahunt. Respondeo, principia rei naturalis ex se inuicem in eodem genere non sunt, ut supra monitum est: forma enim ex materia, in genere causæ materialis sit, cum interim compositi principium sit in genere solius causæ formalis. Deinde cum principia rei naturalis ex alijs fieri non posse dicuntur: id similiter intelligendum est in eodem genere, quo ipsam rem naturalem causant, aut principiant: at materia, & forma à Deo in genere causæ extrinsecæ, & efficientis fiunt; compositumque in genere

causæ intrinsecæ, ac minimè efficientis causant: præterea ambæ physice, & essentialiter rem naturalem constituunt, & principiant: ipsæ vero ex genere, & differentia logice, & ex partibus integrantibus integraliter coalescunt: quamobrem omnibus spectatis in eodem genere, quo rem naturalem causant, nec ex se, nec ex alijs, sed omnia ex ipsis fiunt; atque adeo rei naturalis prima erunt, ac stricta principia.

7 Obiicies secundò: cum terra à Deo primò producta est, nulla formæ terrestris priuatio in eius præcessit materia: priuatio igitur non est omnis entis naturalis principium. Respondent P. Suarez tom. 1. Metaphys. disp. 1. 5. sect. 3. & Conimbricens. 1. Physic. cap. 9. quæst. 5. art. 2. aliique plures materiam primam terræ naturam quidem esse priorem formæ terræ, esto eam tempore non antèuertat; dari autem in priori illo naturæ signo priuationem formæ terrestris, quæ terræ principium esse possit & debeat. Quominus tamen huic solutioni possum acquiescere, facit in primis, quod instans illud naturæ prius, quo materia antecedit formam, in materia ipsa proximè expedita ad causandam formam consistat: instans verò posteriorius, & consecutionis formæ ad materiam non in alio, quàm in ipsa forma, prout à materie causata, atqueeducta positum sit: at nec forma, nec eius carentia est materia proximè expedita ad causandam formam: ergo pro illo priori nec forma, nec carentia formæ existunt, sed potius ab utraque præscinditur. Itaque aliud est, materiam pro priori, quo natura, seu ratione formam terræ antèuertit, ea priuari: aliud, ab ea, ut dictum est præscindere: hoc posterius verissimum est: illud vero prius ipsa, ut sic dixerim, falsitate falsius.

8 Secundò ea mihi solutio displicet, quia instans naturæ prius, ac posterior in eodem instanti reali comprehenduntur: alterum enim in causa consistit, alterum in effectu. Cui autem ambiguum esse possit, effectum & causam in eodem instanti reali oportere sibi mutuo coexistere: Si ergo priuatio formæ terræ in priori signo naturæ, & forma ipsa terrestris, atque primordialis in posteriori existunt: sanè forma aliqua, & eiusdem priuatio pro eodem instanti reali existent, & in materia sedem vnâ figent: quod manifestè absurdum est, & contra metaphysicum illud principium: *impossibile est idem simul esse, & non esse*. Tertid denique præfatam solutionem impugno, quia non solum in primo instanti reali creationis terræ, verum etiam in omni sequenti duplex illud instans seu signum naturæ reperiuntur, atque concurrunt: vnum scilicet prioritatis naturalis materiæ ad formam: & aliud posterioritatis huius ad illam. Aut ergo pro priori signo non intelligitur priuatio formæ, sed mera ab ea præcisio: aut certè priuatio formæ terræ v. g. erit eius principium non tantum in fieri sumpta, verum etiam in conseruari: quod tamen & à mente Aristotelis, Philosophorumque omnium, & à veritate ipsa prorsus est alienum.

9 Alij respondent, in materia terræ primò producta esse carentiam identitatis cum forma: quæ quidem priuatio quædam est, & principium terræ dici sustinet. Contra tamen sic arguo: ea carentia priuationis stricta non est, cum non sit carentia formæ in subiecto apto nato, eo quod materia non sit capax identitatis cum forma, quam tamen solam identitatem eiusmodi carentia negat: at aduersarij de sola priuatione stricta Aristotelem volunt intelligendum. Deinde ea priuatio principium rei naturalis est, quæ cum existentia formæ in hac rerum vniuersitate contrariatur, ut ex verbis Philosophi inferius citandis constabit: sed carentia identitatis cum forma neutiquam contrariatur cum

cum existentia formæ, sed potius eam in rebus tolerat: ergo &c. Rursus ut supra arguebamus, ea carentia esset principium rei naturalis non solum in fieri, sed etiam in conservari: quod tamen de privatione non solet, nec debet admitti.

10 Illud tamen certum, atque exploratum est, hanc carentiam esse principium rei naturalis, quicquid ingeniosi Recentiores obstrepant: aut enim non distinguitur à materia, quod minimè tollit, quominus vera negatio, & carentia identitatis sit, & ita non minus, quam materia principium erit rei naturalis: aut ab ea distinguitur, & ita etiam eandem rationem principij fortietur: siquidem materia nisi esset distincta à forma, nec eius, nec compositi causa esse posset: nihil enim sui ipsius causa esse valet: illa ergo distinctio, seu carentia identitatis materiæ cum forma, materiam in ratione causæ materialis ex parte constituit: quando ergo non solum causa proximè expedita, verum etiam omne id, quod eam in ratione talis complet, & constituit, effectū prius naturæ eiusque principium est, certè carentia illa identitatis materiæ, cum forma censi debet principium formæ, ac totius rei naturalis: ceterum hoc genus principij ad materiam reducitur, ut infra in simili ostendimus.

11 Respondendum ergo est ad argumentum principiale, vel Aristotelē voluisse, privationem esse principium duntaxat omnium entium, seu corporum naturalium, quæ post primam mundi creationem per causas naturales continuò generantur, vel quidem nomine privationis intellexisse quicquid formæ introductæ repugnat, atque contrariatur, ut inferius ex ipso demonstrabimus: carentiam autem formæ terræ ei repugnare & contrariari: nomine igitur privationis usurpanda est: alia verò ex parte ea carentia principium terræ est: ex nō terra enim terra à Deo primò producta est atque in lucem rerum creaturarum edita: quid ergo verat privationem esse principium etiam terræ cælique atque adeò omnis rei naturalis.

12 Obiicies privatio saltem non est principium intrinsecum, rei seu corporis naturalis: at de ratione principij ab Aristotele, definiti est iuxta nos, ut sit rei naturali intrinsecum: privatio ergo Aristotelicis principiis rei naturalis haud potest accenseri. Maior probatur: quia privatio nec rem naturalem intrinsecè componit, nec etiam ulli eius parti intrinsecè inest: quomodo igitur ei esse potest intrinseca. Prior antecedentis pars non eget probatione: posterior suadet, in hunc modum: privatio formæ terræ v.g. in eius materia est eadem carentia formæ terræ, quæ huius, ab æterno, creationem antecessit: quæ autem sic antecessit, sanè non fuit ab æterno intrinsecè in materia terræ nondum existente, ut patet, nec per unionem aliquam ei unita, aut intrinseca facta est in tempore: quæ namque aut qualis ea unio sit, inintelligibile est: nullo ergo modo prædicta privatio formæ terræ, eius materiam, ac per consequens nec aliam illius partem intrinsecè adficit, eive inest.

13 Respondeo tamen, & nisi fallor, perquam ex facili sicut destructio formæ alicuius realis dicitur, eiusque merito & quasi munere forma ipsa censetur realiter destrui, non quia ipsa eius destructio in se quid reale sit, sed quia est destructio formæ realis, siue quia forma per eam destructa est quid reale, & cum vera entitate essentiæ coniunctum; ita similiter privatio formæ terræ v.g. eius introductione per totam æternitatem anterior, dicenda quidem est intrinseca materiæ, non quod ipsamet privatio in se intrinseca sit materiæ, eive propriè inhæreat, aut possit, sed quod forma terræ, qua privatur, ex quo privationem suam tollit & existe-

R.P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.

re incipit, materiæ suæ incipiat esse intrinseca: quidni enim privatio formæ intrinseca ab eius intimitate dicatur intrinseca: sicut à realitate formæ destructæ destructio dici solet etiam realis ac vera destructio, ut præmissum est.

CAPUT III.

Solutio cætorum argumentorum, quæ in contrarium fieri possunt.

14 Obiicies quartò: forma expulsa inter principia rei naturalis censenda non est: eiusmodi ergo principia plura numero sunt, quæ tria. Antecedens probatur, quia ex ligno v.g. fit ignis: forma ergo ligni est terminus à quo, adeoque principium ignis, non minus quam privatio: nec principium qualecumque, sed materiæ ignis verissimè intrinsecum. Respondent aliqui, dehnita esse ab Aristotele principia rei naturalis, non quæcumque, sed quæ ad eius generationem atque existentiam conducunt: materia enim & forma citra dubium ea pollent conducentia: ut autem idem de privatione suadeant,

15 Supponunt in primis materiam, in ipso primo instanti possessionis formæ, eius habere desiderium innatum. Etenim potest Deus revelare Petro v.g. se collaturū ei gratiam iustificantiem, in primo instanti quo eam desideret: huius revelationis possibilitas adeo est ex terminis ipsis manifesta, ut à nullo possit negari: fac ergo Petrum desiderare gratiam, qua iustificetur, certè aut statim eam consequetur, aut revelationi diuinæ falsum suberit: hoc autem posterius cum repugnet, necessum sanè est ut pro priori naturæ desiderium gratiæ, pro posteriori verò eiusdem instantis realis ipsamet gratia in illo existant: desiderium ergo elicatum rei, in primo instanti quo possideretur, haberi potest: quidni ergo & innatum de quo sermo est? Rursus si materia terræ v.g. in primo instanti suæ creationis diuinitus careret forma terræ, hanc haud dubiè tum desideraret: quid euidentius? At illud desiderium à carentia formæ terræ in eodem instanti minimè penderet: esto igitur in eo instanti, non carentia formæ illius, sed forma ipsa existeret in materia, hæc nihilo minus eam desideraret. Minor probatur, quia si desiderium innatum quo materia terræ, pro primo illo instanti reali, desideraret formam terræ, dependeret pro eodem instanti à carentia formæ terræ, eamque supponeret, sanè materia terræ desideraret formam, in eo instanti, ex suppositione quod in eo carentia formæ daretur: sed forma ex suppositione carentiæ eius, aut quod perinde est, compositio formæ cum sua carentia in eodem instanti, simpliciter impossibilis est: desideraret ergo materia quid omnino impossibile: hoc autem admitti non potest: ergo nec quod desiderium innatum, quo de loquimur dependeret à carentia formæ desideratæ, in eodem instanti reali.

16 Secundo supponunt, materiam primam non desiderare formam, quam in instanti antecedenti possideret: siquidem acquisito termino desiderij subit illico gaudium, & desiderij affectus cessat, iuxta tritum ac vulgare dictum *inueni portum spes & fortuna valere*: quando igitur ea cessatio à desiderio sequi nequit, in primo instanti reali acquisitionis formæ, quo eius desiderium potius existit, reliquum est, ut in sequentibus existat. Tum etiam, quando forma supponitur extitisse in instanti reali antecedenti, ad summum eius conservatio pro sequentibus desiderari potest: non ergo prima eius existentia.

A 3

Hinc

17 Hinc colligunt carentiam formæ terræ primò productæ, quæ si materiæ terræ coexistisset, priuatio futura esset, (& eadem, imo maior ratio est de quauis alia priuatione) carentiam inquam illam, esse principium terræ: id enim desiderij formæ terræ, quod in primo instanti possessionis eius existit, constituitur per carentiam illam anteriorem, quippe quod sine ea non existeret, nec daretur: cum ergo desiderium formæ terræ ad eius existentiam conducat, sanè carentia eius formæ ad eius existentiam censenda est conducere, ac proinde eius erit principium. At verò forma expulsa ad existentiam formæ contrariæ non conducit, sed potius ei obstat obnititurque, proinde quantumlibet terminus à quo sit, nihilominus haud erit principium alterius formæ qua expellitur, reive naturalis per eam constitutæ, prout modo principium accipitur.

18 Ingeniosius tamen excogitata sunt hæc, quam verius. Nam si priuatio posset conducere ad existentiam formæ, quam tempore antecedit, certè non solum posset sed deberet strictè ac verè conducere, ad sui quasi destructionem, cum existentia formæ qua priuat, indissociabiliter coniunctam: at hoc est prorsus impossibile: ergo & illud prius: huius impossibilitas negari nequit: quid enim manifestius quam id habere omnem conceptum seu positum, seu negatum, ut destructioni suæ reluctetur & obstat: qui ergo potest ad eam conducere? Adice, quod si, ut aduersarij volunt, priuatio formæ ad huius conducit existentiam, fieri non posset, quin etiam forma expulsa ad eandem formæ introductæ aut introducendæ existentiam conducat: quæ enim forma expellitur, antequam expellatur, infert semper priuationem formæ introducendæ: ergo ad eius priuationem conducit: quando igitur priuatio ad formæ introducendæ existentiam, iuxta eos quibuscum disceptamus, conducit confertque, sanè forma expulsa ad eam existentiam mediate conducere censenda est, ac proinde hoc ex capite excludenda non est à ratione principij rei naturalis. Denique nullo authore, nulloque fundamento ad rationem principij ab Aristotele definiti prædicta conducentia postulantur.

19 Vnde respondeo formam expulsam etiam esse corporis seu rei naturalis principium, prout hoc modo usurpatur. Quod ita suadeo: id velut terminus à quo est principium rei naturalis, quod cum eius forma & existentia contrarietatem & veluti simultates gerit: Ita Philosophus 1. Phys. cap. 5. text. 50. ibi; *principia igitur contraria esse manifestum est*: at non solum priuatio, verum etiam forma expulsa & præcedens, formæ introductæ contrariatur: cur ergo forma expulsa rei naturalis principium non sit? Præterea, ut communiter Recentiores notant, utque constat ex Aristotelico textu, hic ab eo agitur, non tantum de principiis compositi substantialis, sed etiam, eorum occasione, de his quæ principiant compositum accidentale, & ut non ageretur, par nihilominus esset utrumque ratio. Atqui esse principium compositi accidentalis conuenit non tantum priuationi formæ accidentariæ, sed etiam formæ expulsæ, ut testatur Aristoteles cap. 5. citato & text. 44. ibi, *Sed album quod fit è non albo, non quouis, verum ex nigro, aut intermedijs*. Ergo, &c. Hinc tamen minime fit, plura esse principia rei naturalis, quam tria; nimirum forma expulsa, & carentia formæ introductæ, & in vniuersum, quidquid formæ introductæ opponitur, eiusque generationem impedit, ad vnum principium reducitur, & nomine priuationis ac termini à quo, ab Aristotele comprehenditur. Quod si animaduertissent Recentiores Philosophiæ magistri, non adeò conspirarent,

in releganda forma expulsa, à ratione principij rei naturalis.

Obiicies quintò, dispositiones etiam ad formam substantialem rei naturalis, esse eius principium: cum ex calido fiat ignis; calor que, non minus, imò magis quam priuatio, materiæ ignis intrinsecè adficiat: quocirca plura erunt quam tria, corporis entisve naturalis principia. Respondeo dispositiones esse principium rei naturalis; at non nisi vnum cum materia prima; quippe ad cuius principiandi rationem reducuntur, eo quòd eam intrinsecè afficiant. Replicabis tamen, priuationem etiam, eadem de causa, ad materiam velut vnum cum ea principium reduci posse; ac sic duo tantum principia rei naturalis esse non tria pro eo ac hætenus supposuimus. Non virget hæc replica: dici namque in primis ad eam potest, ita assignata à nobis esse tria rei naturalis principia, ut æque cògruè numerari possint duo, atque ut priorem numerum ament, posteriorem non respere; ut expressit Aristoteles 1. Phys. cap. 7. text. 67. ibi *quapropter principia, tum duo tum tria, dici possunt*: videlicet quia ut hic nostri Conimbricenses explicant, priuatio & materia subiecto vnum sunt. Responderi etiam potest ad eandem replicam, id interesse discriminis, inter priuationem & dispositiones præuias, quod hæc coexistant materiæ, tum temporis, cum materia formæ subest, & rationem principij exercet, cum interim in priuatione secus accidat: quare magis est, ut dispositiones vnum principium cum materia constituent, quam ut priuatio in societatem vnus cum ea principij admittatur.

Obiicies sextò: homo v. g. non solum materia & forma intrinsecè constat, verum etiam vnione, sine qua planè homo non esset, quantumlibet vnus materia & forma, nempe anima rationalis existerent: vnio ergo materiæ & formæ, inter principia intrinseca rei naturalis, statuenda est; & sic numerus principiorum, non ternarius erit, sed potius ultra perget. Respondeo vnionem materiæ & formæ ab iis, ut suo loco ostendimus, realiter distinctam, haud quaquam obtinere rationem principij naturalis, sed solummodo esse rationem principiandi; eò nimirum quod non constituat, neque componat hominem, sed præcisè sit id, quo materia & forma hominem componunt atque constituunt: quo pacto dici consuevit, actionem non esse principium efficiens termini, quia terminum non causat efficienter, sed tantummodo est id, quo agens eum agit & efficit.

Obiicies denique septimò: homo non solum ex materia, forma & vnione, verum etiam ex subsistentia, ab iis realiter distincta, intrinsecè coalescit: subsistentia ergo est principium primum, & intrinsecum rei naturalis, atque adeo principia rei naturalis, aut perperam à nobis definita sunt, aut certè non tria sunt, sed quatuor. Respondent nonnulli primò Aristotelem egisse de principiis naturæ, non verò suppositi, cum solam illam, non hoc agnouerit: subsistentia autem suppositum non naturam hominis v. g. constituit; atque adeo inter principia naturalia, ab Aristotele definita & connumerata non debet censer. Alij secundo respondent, subsistentiam esse veluti formam quādam, humanitatis, v. g. intrinsecam, & eius vltimò completam, & integram, vnde principium erit rei naturalis; non tamen aliud à forma, sed potius cum ea vnum, & ad eam quodammodo reducendum.

Alij tertio respondent, Aristotelem egisse de principiis Physicis entis naturalis: subsistentiam autem componere nō physice, sed metaphysice, ens naturale v. g. hominē. Hæ tres solutiones parum inter se differunt, idque supponunt omnes, subsistentiam esse entitatem

titatem quandam incompletam, constituentem, cum materia & forma hominis, hominem, equi, equum &c. At nobis, ut patebit ad finem huius libri magis oppidò placet substantiam esse entitatem omnino completam, eamve, in qua totus homo v.g. consistat, nec tam esse principium hominis, aut humanitatis, quam esse huius effectum, atque ab ea eiusque partibus, materia scilicet & forma, tanquam à causis intrinsecis manare: non est ergo, quod inter principia naturæ connumeretur, cum potius, ut dictum est, naturæ sit effectus: nisi vero singas, illam simul esse posse effectum naturæ, atque eius principium.



TRACTATUS II.

De materia essentialiter componente corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An materia prima in rebus existat.



MATERIA prima, iuxta Aristotelem i. Phys. cap. 6. est primum subiectum, ex quo aliquid fit, ut non per accidens insit. Particula illa, primum subiectum, denotat materiam tale subiectum esse, quo aliud antea non sit. Reliquæ definitionis partes significant, materiam esse subiectum formæ substantialis, secumque componentis vnum per se & substantiale, non verò accidentale, aut per accidens.

2. Quam materiam in rerum natura & vniuersitate existere, suaderi præcipue potest, ex irrequieta illa, & perpetua rerum naturalium discordia, & lucta, qua mutuum sibi interitum moluntur: Siquidem ignis v.g. à ligno sibi proximo, & applicato, dispositiones eius naturæ consentaneas abigit, & in eo siccitatem, calorem, aliasque dispositiones contrarias eiusque destructiuas operatur, ut experientia testatissimum est: at non alia de causa, nec alium propter finem, nisi ut à materia prima ligni ligneam formam expellat, & contrà formam ignis in eam imprimat atque introducat: Admittenda igitur est acrisque iudicio concedenda in ligno eiusmodi materia, quæ quidem formæ ligni subesse habeat, & tamen formæ ignis & cuiusque alteri possit subesse. Huic argumento vnam aut alteram solutionem apponam; in quarum oppugnatione potissimè sita erit nostræ & communis sententiæ propugnatio.

3. Respondebis ergo primò, luctam illam rerum naturalium non esse propter subiectum substantiale commune, quod aliæ aliis abripere nitantur, sed propter accidens aliquod commune, quantitatem v.g. aut aliud simile. Cur enim estò ignis & lignum materia & forma non consent, porùsque corpora substantia- lia simplicia & compositionis expertia sint, quantitate non gaudeant; & propter huius possessionem inuicem dissidere & inimicari non possint?

4. Contra tamen primò sic arguo. Accidens de vno subiecto adequato & immediato ad aliud etiam tale migrare non potest: at in opposita sententia, transitus ille daretur: ergo, &c. Maior probatur: quia forma substantialis, quæ ratione suæ maioris perfectionis à subiecto absolutior & explicatior est, nihilominus migrare nequit aut transire à subiecto adequato in sub-

iectum adequatum, tamen si à subiecto inadéquato in subiectum inadéquatum transire possit, ut in nutritione humana cernere est: à fortiori ergo accidentalis & imperfectior forma, à subiecto adequato in subiectum adequatum migrare non poterit: Antecedens fide sanctum est, cum Ecclesia transmigrationem animarum de corporibus in corpora contra Pythagoricos condemnarit. Aliter etiam probatur eadem Maior, quia experientia ipsa testatur, calorem v.g. qui manui meæ inest, ab ea auferri, & in alterius manum transferri non posse: quidni ergo vniuersim repugnet cui- cunque accidenti, ut à subiecto adequato in subiectum adequatum possit migrare?

Dices, transitum illum accidentis à subiecto in subiectum adequatum, tum solum euenire, cum aut subiectum, cui prius inerat, destruitur, & eius loco aliud producit, aut cum subiectum aliquod in locum aliquem transit, quo accidens secum ferre non potest; eique in eodem loco succedit aliud subiectum eiusdem accidentis capax: ut si nostri hemisphærij aer, luce perfusus, atque irradiatus, in aliud hemisphærium, vbi sol nondum illuminare potest, vento agitante feratur; hoc certè in euentu, aer succedens, lucem aeris depulsi poterit in se suscipere: quominus enim possit quid prohibet?

Verum enim, vbi semel transitus ille admittatur, sanè absque fundamento videtur ad solos duos illos euentus adstringi: nec conspicio, cur, eo admisso, calor in pede productus pedem deserere, & ad caput sensim obrepere nequeat. Rursus, lux in euentu adducto infinita penè subiecta adequata mutaret; cum aer aëri in eodem loco succedens, (quæ est venti agitantis celeritas) in quouis ferè instanti sit diuersus. Deinde, cum in adducto casu aer aëri succedit in eodem loco, sanè aer introductus prius natura introducit, quam aer anterior expellatur: pro posteriori autem, in quo intelligitur aer anterior expelli, nondum intelligitur gradus antiquus lucis exiens, & in aëre nouo receptus, sed post expulsionem illam eius receptio in nouo aëre intelligenda est, si admittatur: quandoquidem ergo pro illo signo, quo expellitur aer anterior, sol nouam lucem producere potest, & pro tunc ut aiunt prior gradus lucis nondum intelligatur existens; non est profectò, cur sol ad ostentationem suæ virtutis denuò ibi non illuminet: nec enim in sole virtus deest, nec in passo capacitas.

Argumentor secundò contra principalem solutionem initio capitis propositam; quia potior ratio est, ut propter alicuius substantiæ communis adeptionem, quam propter accidens aliquod commune tota agentium naturalium lis atque dissidium sit, cum substantia accidenti præstantior sit, & quidem non paruo intervallo: irrationabilis igitur est superior solutio, quæ pugnam agentium naturalium in quantitatem aut aliud accidens commune, non verò in materiam primam, primumque subiectum substantiale refundit. Tertio eandem solutionem impugno, quia igni de nouo producto non est cur noua quantitas suo quasi iure debita non sit, sicuti cuius alij essentia debentur nouæ atque propriæ affectiones: ignis ergo cum ligno minimè decernat, ut ab eo quantitatem auferat, & illam igni conferat.

Quartò demum eandem solutionem confuto, quia dispositiones ab igne in lignum immixtæ in primo instanti quo ignis producit, ad eius productionem disponunt: cur enim tunc determinatè & non ante nec postea ignis producit, nisi quia tunc primum est vltima dispositio ad eius productionem: aut cur, in eo instanti primo, ignis potius quam alia substan-